



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 43ra-
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 20 quaeritur primo utrum mulier debuit formari de costa viri.

Videtur quod non, quia costa non potest ab homine separari sine dolore. Sed dolor non fuit ante peccatum, ergo corpus mulieris non debuit de ista costa formari.

Contrarium habetur II capitulo Genesis, ubi dicitur quod edificavit dominus Deus costam quam tulit de Adam in mulierem.

Ad evidentiam istius quaestionis sunt tria videnda. Primo ostenditur quod congruum fuit quod de costa viri formaretur corpus mulieris. Secundo ostenditur motus quo ponit formari. Tertio tanguntur opiniones contra dicta.

Quantum ad primum sciendum quod conveniens fuit mulierem de costa viri formari propter multas causas. Primo quidem ut dignitas primo homini servaretur, ut scilicet sicut Deus est principium totius universi, ita et ipse homo esset principium suae speciei. Secundo ut homo mulierem magis diligeret et ei magis inseparabiliter adheret, dum cognosceret eam ex se productam, quasi se in ea quodammodo diligens. Unde ut dictum est in Genesis, de viro sumpta est quam ob rem dimittet homo patrem et matrem et adheret uxori suae. Et hoc necessarium fuit maxime in humana specie in qua mas et foemina simul commorantur per rationem vitam suam, quod non contingit aliis animalibus. Tertia ratio sumitur specialiter ad designandum quod inter virum et mulierem debet esse socialis dilectio: neque enim multipliciter debet in virum dominari, ideo non est formata de capite; neque debet a viro despici tamquam sibi subiecta sic, ideo non est formata de pedibus. Sic patet primum.

Modus autem quo factum est corpus mulieris de costa viri ponitur talis a quibusdam doctoribus et bene, scilicet quod formatum fuit per alterius materiae additionem vel de novo creatae vel praesistentis sub forma alterius corporis, per quam etiam modum dicunt factam esse multiplicationem quinque partium. Et rationem assignat, quia illud corpus mulieris vel est formatum de costa per eius multiplicationem sine additione materiae vel per eius multiplicationem cum additione materiae ut dictum est.

Si secundo modo habeo propositum, si primo modo, ita scilicet quod sit multiplicata costa virtute divina sine alterius additione, hoc non potest esse nisi duobus modis, scilicet quod illa multiplicatio attendatur vel /43rb/ secundum quantitatem vel secundum essentiam materiae.

Si primo modo sic oportet quod eadem materia numero, quae primo fuit sub parvis dimensionibus, fiat postea sub maioribus eadem essentia materiae remanente. Et hoc nihil adest quam rarefieri et sic corpus mulieris fuisset forma cum de costa viri per rarefactionis modum, quod est inconveniens. Si vero ista multiplicatio essentiam materiae attingat, cum nihil sit multiplicari essentiam materiae, nisi aliquid finis quod prius non erat, oportet necessario quod aliquid sit materiae sub forma mulieris, quod prius sub forma costae non erit, quod non potest esse nisi per conservationem alterius corporis in corpus mulieris, cuius materia sub forma mulieris remanet; vel per hoc quod aliquid materiae de novo creatur, qua formatur sub forma mulieris. Et ideo necessario simpliciter sequitur propositum scilicet quod formatum est corpus mulieris de costa per additionem alterius materiae. Sic patet secundum.

Modo contra istam positionem arguunt aliqui et volunt probare quod causa quare per agens naturale non potest fieri quantitas materiae maior nisi per rarefactionem vel additionem alterius materiae est quod nullum agens naturale potest immediate attingere essentiam materiae nisi mediante quantitate et



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 43ra-transcribed by Andrea Colli

ideo cum non habeat potestate super essentiam materiae nec etiam super quantitatem. Sed Deus immediate potest attingere essentiam materiae, ideo de costa potuit fieri a Deo corpus mulieris sine rarefactione et adductione novae materiae alterius. Et etiam de grano milii posset fieri modos??? sine rarefactione et adductione alterius materiae.

Praeterea. Quicquid Deus potest cum causis secundis, potest etiam facere sine eis. Sed Deus potest facerem maiorem materiam cum causis secundis per adductionem, ergo etiam sine eis et sine adductione.

Tertio quod non oportet quod semper maioritas dimensionum causetur ex addictione materiae per rarefactionem. Arguunt sic. Quia in sacramento altaris constat igitur post conservationem dimensiones corporis Christi sunt maiores quam ante fuerunt dimensiones panis et hoc tamen sine addictione vel rarefactione materiae. Ergo et corpus mulieris potuit esse maius post conservationem costae in ipsum corpus et sine addictione et rarefactione.

Et ideo dicunt isti quod materia potest dupliciter considerari: vel secundum essentiam suam, et hoc modo est in potentia ad omnem quantitatem quam Deus vult, vel ut subicitur quantitati, et hoc modo non potest multiplicari nisi duobus modis scilicet per rarefactionem vel conservationem alterius materiae. Quia autem Deus essentiam materiae potest attingere, ideo potest quamcumque materiam extendere a quantamcumque quantitatem. Sed ista positio videtur directe implicare contradictionem, quia impossibile est per se intelligere multiplicem eiusdem materiae sine adductione, nisi in quantum accipit maiores dimensiones. Et ratio est quia essentia materiae secundum se est intrasmutabilis et in multiplicis, sed omnia illa insunt ei mediate dimensione et quantitate.

Item ipsa numquam est terminus transformationis, licet sit subiectum. Et ideo impossibile est eam eadem numero sine addictione intelligere maiores et multiplicitas nisi quia accipit maiores dimensiones. Constat autem quod istud est rareferi, scilicet materiam eadem sine addictione accipere dimensiones maiores. Ista enim est diffinitio rari ut habetur IV Physicorum. Ergo ponere quod eadem materia sine addictione multiplicetur et tamen non rarefiat, est ponere diffinitionem sine diffinito quod nec Deus potest facere tum contradictiones implicitas, ideo etc.

Ad primum quando dicunt quod causa, quia agens naturale non potest facere maiorem materiam sine addictione et rarefactione, est quia non attingit immediate essentiam materiae, dico quod falsum est, immo si millesies attingeret essentiam, hoc non posset facere quia contradictionem implicat, ut visum est. Quod autem dicunt quod Deus immediate attingit materiam, non agens naturale, dico quod agens naturale et, si non attingit eam in principio, attingit tamen eam immediate in fine transformationis. Deus autem, et si immediate attingit essentiam materiam, in quantum eam creare potest, numquam tamen eam immediate attingere potest, ut sit maior sine diminutione, quia hoc contradictionem implicat.

Ad secundum dico quod tenet in causis efficientibus, non in formalibus.

Ad tertium dico quod non est ad propositum, quia in sacramento altaris nulla materia eadem manet, ut multiplicetur, sed materia in materiam convertitur. Et non invenitur maioris dimensionis, ideo etc.

Praeterea cum in operationibus divinis nihil sit frustra nec superfluum, ista costa fuit de perfectione corporis Aadae, sed subtractio eo quod fuit de perfectione hominis sequitur in eo diminutio. Ergo Adam



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 43ra-
transcribed by Andrea Colli

per subtractionem illius costae in se fuit diminuitus, sed in resurrectione tolletur omnis diminutio. Et sic costa illa in Adam resurget et sic Eva non resurget, quod est inconveniens. Ergo de costa illa mulier non debuit formari.

/43va/ Ad primum argumentum dicendum quod aliquid est de perfectione alicuius dupliciter. Uno modo de perfectione, sicut necessarium ad perfectionem individui, et tale non potest separari ab eo sine eius diminutione, et hoc modo costa non fuit de perfectione primi hominis. Alio modo aliquid est de perfectione sicut necessarium speciei et per separationem talis non est individuum imperfectum et hoc modo erat costa de perfectione adae non primo modo. Ideo non resurget in Adam, sed in Eva. Et ideo etiam non separatur cum dolore, cum esset aliquid superfluum de individuo. Et per hoc patet solutio ad primum argumentum.

TEACHPOL